
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 8

Nowo-Tacin. Liter. -
937.
/I

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Cōmentatio.

D. O. M. A.

IRENICUM.

Sive

De differentijs Religionum conciliandis,

Succincta Commentatio.

Cui subjuncta Delineatio *pij & fructuosi in Theologicis Colloquij.*

Brevis etiam adjecta Declaratio, *Cur Colloquiis & Conventibus de Religione in Germaniâ parum interdùm profectum sit.*

Authore

HENRICO NICOLAI,

Philos. & Theologo.

DANTISCI.

Typis GEORGII RHETII.

ANNO M. DC. XLV.

Aott. 51

4.

D. O. M. A.

IRENICUM.

Siue ſeu de differentijs religionum conciliandis, Brevis Commentatio.

I.

QVi differentias ac diverſitates in negotio aliquo ad concordiam redigere velit, eum ad differentiarum *originem, occaſiones, cauſas, modos, formales rationes, attributa, circumſtantias, ac ſimilia* attendere oportet, & ut iſta omnia vel removeantur, vel moderatiùs ponantur, aut aliâ utili ac convenientiore ratione determinentur, procurare, & ſic ex talibus conciliandi media ac momenta deſumere, tandemq; conciliationem ipſam inſtituere & inducere.

2. *Conciliationum impedimenta* ante omnia ſtudioſè inquirenda, & judicioſè removenda ſunt. Illis n. remotis, quò minus conciliatio inſtituatur, nihil ſolidi obſtare animadvertetur.

3. Impedimenta conciliandi *vel ex parte materiarum & objectorum, vel hominum* & ſubjectorum diſſentientium, *vel modorum*, quibus proponitur, *vel accidentium & affectionum quarundam* rebus adjectarum aut commiſtarum, vel in alijs conſiſtent. *Objectorum*, cum res ipſæ ſimpliciter

ſunt

ſunt irreconciliabiles. Vt Deum Spiritum eſſe, & membris Corporeis præditum eſſe. Vel cum principia, ex quibus procedi debet, prorsùs contraria aut diſparata ſunt. Vt cum ex Scripturâ & Alcorano Mahometico proceditur, quæ conciliari non poſſunt. *Subjectorum*, cum homines ſibi adverſi occurrunt, & ſi res, de quibus conflictantur, non adeò adverſæ ſint: Aut contrarijs motibus rapiuntur, qui ſimùl conſiſtere non poſſunt. Vt cum *per impetum* duriora & inaccuratiora effundunt, *Cum extra eum* mitiora & meliora depromant. *Modorum proponendi*, Vt cum aliquid ab uno tricosè & implicatè, inſufficienter & periculosè, ab altero planè, diſtinctè, ſolidè, ſufficienter, utiliter, & ſine ullo periculi timore proponitur. Sic *Scholaſtici* tricoſisſimè multa, Scriptura apertè, ſimpliciter, & ſufficienter res fidei proponit. *Affectionum*, cum quædam in materijs concurrunt, quæ contrariantur, & ſi ipſæ materiæ ita contrariæ non ſint. Sic qui convitijs & debacchationibus certant, ac modeſtè & placidè ſua proponunt, affectiones contrarias in materijs comportant, cum in reipsâ in ipſis materijs non diffidere interdum queant. Ita qui de induſtria κενοφωνίας, λογομαχίας, σκιαμαχίας, & ſimilia ſectantur, ut disſidere ab alijs videantur, affectiones à rebus ipſis alienas immiſcent: Res ipſa una & conſentiens eſſe poteſt.

4. Sufficienter agnitis & conſtitutis *impedimentis* conciliationi obſtantibus, de removendis illis *ſeriò, ſedulò, & Chriſtianè cogitandum*. Ac qui ut *boni Chriſtiani*, Et ad priſcam Apoſtolicam & Chriſtianam fidem omnia conferentes, hic procedere velint, facilè ad remotionem aliquam eorum in negotio Religionis pervenire poterint. Qui ſic

procedere renuant, frustrà in conciliando sint, & si conveniant, ut inutiles in supervacuo ac inutili, non ut Christiani in salutari negotio, convenerint. Sectarum n. suarum authoritati, aut rebus humanis & mundanis magis, quàm Dei veritati, velificari cupient. Per quæ nihil fructuosi in harmonia fidei Christianæ expediri posse, certum est.

5. *Impedimenta Obiectorum vel in Obiectis totis sunt, Vt Christum* Dei filium esse, quod Christiani; & Magum, impostorem, ac seditiosum fuisse, quod Judæi de eo sentiunt; DEum esse, & nullum esse, quod athei volunt; Hæc conciliari nequeunt, sed alterum hic verum, alterum falsum, aut vtrumq; falsum esse oportebit. Totis enim se hæc obiecta dissident, eoq; frustra conciliari quæruntur: *Vel in obiectorum partibus, modis, circumstantijs, affectionibus, varijs determinationibus, considerationibus, disquisitionibus, & similibus.* Circa hæc conciliatio institui potest, Vt totum seruetur, & si non in omnib. totius partibus idem teneatur, quas simplices Christianos interdum ignorare, aut non satis capere, certum est. Sic *Christum vnigenitum DEI filium esse*, totum, & de fide est. Ejusdem numero cum Patre essentiæ, & absolutè æternum cum illo esse, longè specialior determinatio est, quam nec omnes sciunt, nec capiunt, & in qua multa in hac vita imperscrutabilia & ἄρρητα supererunt, Vt ad æternam Academiam differenda, *& inter Arcana Coeli referenda* veniant, Vt in *Methodo de Trinitate* pluribꝰ dixi. Multa n. ad hoc distinctè cognoscendũ requiruntur, quæ omnibus non data sunt. Nec perpetuus apud *Patres* in talibus consensus est. *Sic credo sanctam Catholicam Ecclesiam*, totum & de fide est. Sed quæ *de adæquatis Ecclesiæ notis, competente admini-*

ministrationes, infallibilitate, authoritate, attributis, apud Theologos disceptantur, longè maiorem profectum & notitiam requirunt, quàm vt in omnib: simplicibus Christianis esse possint. *Ac qui in aliquâ partium determinatione* hæret, non in ipso obiecto toto, in quo propriè fides est, statim hæret, aut illud negat & impugnat. *Modos etiam rerum, speciales determinationes, circumstantias*, distinctas considerationes, affectiones, & similia nouisse, quia multas Scholasticas disquisitiones requirit, ad fidei ipsius substantiam pertinere non potest, & ab omnibus fidelibus requiri non debet, *Vt pluribus in libris de fide Christianâ* ostensum. *Conf. t. 11.*

6. *Impedimenta subiectorum* tolli poterunt, si pro inscitis scientes, semidoctis solidè docti, pro sectis suis addictis liberi Christiani & soli Scripturæ addicti, ac ad priscam Apostolicam fidem & piscatoriam illam simplicitatem respicientes, quicquid hodiernarum sectarum fides induxerit aut superiecerit, pro inflatis deiecti, ambitiosis modesti, impetuosis placidi, rixosis pacifici, tricosis apertè & planè res proponentes iracundis mites, sectæ propriæ & hypotheseos amatoribus DEi veritatem scripturis repræsentatam in pia simplicitate amantes, vana mundi captantibus solum DEum eiusq; gloriam & Ecclesiæ salutem respicientes & quærentes, periculosè loquentibus accuratè, competenter, & sufficienter rem exprimentes, ac circumspectè loquendo procedentes, omniaq; *ad Scripturæ phrases & verba revocantes*, pro allotrijs & extravagantibus ad rem & materiam presse adhærentes, ac superflua & aliena omnia resecantes, personalium sectatoribus realia persequentes, Patrum, Conciliorum, Antiquitatis statuta cre-

 pantibus,

pantibus sola Prophetarum & Apostolorum scripta producentes, inq; illis acquiescentes, & omninò pro inutilibus aut noxijs ad conciliandum hominibus utiles ac salutares substituantur, de quo alibi plenius doceri solet, quando de legitimis pacificationum subiectis tractari solet.

7. *Impedimenta modorum proponendi* tollentur, si pro Omnibus istis modis, qui in tricas, vanitates, diffusiones, aut subtilitates Scholasticas, in quibus magna pars Controversiarum hodierni temporis consistit, aut alienas & extravagantes materias, aut logomachias, κενομαχίας, vel otiosas contentiones nos inducunt, tales substituantur, qui planè, simpliciter, convenienter, *& Scripturæ* phrasibus maximè accommodatè, materias spirituales exprimant, & in istis, ut ad fidem maximè sufficientib. sistatur, etiamsi tandem de Scholasticis subtilitatibus aut humanis locutionibus non conveniatur, quas abolere convenit, ac spiritus S. linquam retinere & restituere. Sic bona opera ad salutem necessaria aut noxia esse, phrasis tricosa est, & à Scripturâ abducit. Sine sanctimoniâ neminem Dominum visurum esse, *Heb.* 12. Et omnem arborem non bonos fructus ferentem exscindendam, & in ignem conijciendam esse, *Matt.* 7. legitima est, & Scripturæ phrasi respondet, ac rem ipsam sufficienter et competenter explicat. *Conf. t.* 17. Pluribus c. l. hac de re actum.

8. *Deniq; impedimenta accidentium ad materias adiectorum* tolli poterunt, si aliena omnia à re resecentur, pertinentia tantùm curentur & adducantur, secundaria & circumstantialia relinquantur, aut differantur, primaria & fundamentalia præferantur, personalia secernantur, realia

alia recipiantur & tractentur; essentialia rei procurentur, accidentalia suspendantur, Declamationes, debacchationes, impetuositates, & criminationes in materijs aboleantur, materiæ ipsæ perquirantur, fundamenta earum constituantur, & ut in his inprimis harmonia concilietur, elaboretur. *In secundarijs* consensum perpetuum flagitare nihil attinet.

9. *Impedimentis* iustè, sufficienter, & Christianè *amotis*, de differentijs ipsis conciliandis cogitandum, ac differentiarum causæ propiores & remotiores, ac ex illis intimæ earum naturæ rimandæ, Causæq; quantum fieri potest, amovendæ sunt. Et causas in prima herbâ suffocare utile est, ne tempore excrescant. Quia tamen semper fieri nequit, aut periculosum est, successu temporis medicandæ & tollendæ erunt.

10. *Quæ differentiæ ex affectu & impetu hominum* natæ sunt, affectu sublato aut mollito tolli oportet. Vt in disputatione Vinariensi, cum Peccatum originis accidens hominis leviculum dictum est, ipsam substantiam Theologicam hominis esse repositum est, quod ex impetu Flacij manavit. Qui si abfuisset, nunquam ad extremum illud devenutum fuisset. Si moderatione tempestivè emollitus fuisset, etiam facilè error sublatus fuisset. Impetus hominum quid damni varijs in rebus importet, historiæ multorum temporum docent. *V. Eusebium l.2. C.1. Theodoretum l. 5. C. 39.* Qui in Theologicis veritatem solidè inquirere velit, eum equos suos, h. e. affectus, frœnare oportet, secùs oleum & operam perdit. Jmpedit n. affectus animum, ne possit cernere verum. Ita inuidia, odium, superbia, Contradi-

tradicendi studium, Veterib. erroribus indormiendi libido, nouandi,eminendi,pruritus, multas controuersias inuexerunt, quibusOrbis Christianus facilè caruisset, si sine affectibus hominum fuisset. Sic *Lutheri et Philippi* error in primis annis,omnia fatali necessitate fieri,e xodio in*Scholasticos, Papistas,Erasmum*,& similes, arbitrij libertatem nimis extollentes,processit. Dissidium Eucharisticum à *Carolstadio & Zuinglio* ex superbiâ & invidiâ in *Lutherum*, ne is solus aliquid in religione novâsse videretur, ortum est. Controversia Huberiana de Vniversali electione,*Hofmanniana* de Contrariâ veritate Philosophicâ & Theologicâ, ex nouandi,eminendi,dissentiendi, & simili studio alijsq; affectibus orta & continuata est.*Franciscana & Dominicana de* Mariæ sine peccato conceptione, ex merâ rixandi & contradicendi libidine ortum traxit.*Simile* de plærisq; alijs Controversijs Theologicis ex Historia Ecclesiasticâ ortuq; errorum ostendi potest.

II. *Quæ differentiæ ex Obiectorũ & rerum ipsarum naturis* exsurgere videntur, Vt contraria sint,quæ de naturis rerum doceantur & propugnentur, in illis conciliandis videndum,*an differentiæ*,quæ docentur, *ipsam rei substantiam & simplicem necessitatem concernant*,ut eâ non positâ ac creditâ Homo simpliciter salvari non possit, *an Circumstantiam, & uberiorem ac distinctiorem, & accuratiorem rei notitiam*, explicationem, Vel defensionem, quam non absolutè ad salutem Christiano necessariam esse, multosq; simplices Christianos sine eâ salvari posse certum est. *Conf. t. 5.14. Si in puncto simpliciter necessario dissensus est*, videndum, an omnium dissentientium ille sit, & in puncto toto, an quorundam

rundam ex illis, & in aliquâ puncti parte. *Si prius*, partem falsi conuictam de suo sensu cedere necessum erit, secus conciliare partes non licebit. In toto enim dissentire nihil relinquit, unde conciliatio institui possit. In nonnullis autem convenire oportet, qui simul de materia aliquâ tractare volunt. *Si posterius*, cum illis, qui meliùs sentiunt, facilis consensus inibitur. Cœteri, qui durius & inconvenientiùs sentiunt, relinquendi sunt, et cum eorum sententia commercium habendum non est. *Si in puncti parte dissensus est*, ex illis, in quibus consensus manet, ad ulteriorem partium consensum elaborandum procedatur. *Si in re ad uberiorem & distinctiorem notitiam* pertinente dissensus est, ille fundamentum rei non tollit, et in hoc, ut consentiatur, sufficit. In omnibus structuris super fundamentum positis plenum inter Christianos consensum iniri, impossibile est, cum semper in illis diversitates mansuræ sint, & alius aurum, alius argentum, fænum, ligna, stipulas doctrinæ, fundamento superstructurus sit, *1. Cor. 3. v. 12. Conf. t. 15.*

12. *Et in talibus tamen structuris*, ut etiam meliùs ad consensum perveniatur, ad sequentia attendendum erit. *1. Annon dissensionis puncta in homonymijs vocum & phrasium interdum consistant?* Illis n. detersis & abolitis facilior partiumconsensus futurus est. Sic in Cœna *Missam* sacrificium propitiatorium esse, *ambiguè* dicitur, & propitiatorij commemoratio, repræsentatio, & applicatio intelligitur, Vt multi *Pontificiorum* se explicant, Qui sensus faciliorem consensum apportabit. *Vt l. 2. d. simp. fid. C. 4. t. 8.* ostendi. Sic phrasis, disponere se ad conversionem, ambiguè dicitur, *Vt C. 3. t. 24. c. l. dixi.* Ita vox meriti et merendi de bonis

operibus ambigua est, *c. l. t. 22.* Quib. ambiguitatibus distinctis faciliùs ad consensum pervenietur. *2. Annon determinationes valdè speciales occurrant, quæ, si bene explicentur, aut ad sanum congruumq́; sensum redigi possint, aut in totum relinquendæ potiùs sint, quàm adhibendæ.* Sic bona opera esse ad salutem necessaria, quidam dicunt. Pro quo cum Scriptura dicendum, sine sanctimonia neminem DEum visurum esse, *Heb. 12. v. 14 V. t. 7.* Hic sensus congruus est. Cæteros loquendi modos Scriptura non habet, sed in hoc generali sistit, ubi & nobis sistendum. Et res spirituales tanquā mysticæ à specialibus & nimis Scholasticis determinationibus, ut periculosis, magis abstrahendæ, quam eò immergendæ sunt.

13. 3. *Annon Scriptura alio modo & verbis de re aliquâ loquatur, Vt in eius verbis sisti debeat,* & verba hominum tanquam tricosa, noxia, & à salutari Verborum formâ abducentia, reijci debeant, vel suspendi. Sic justitiam Christi nobis imputari, & sic imputatiuè nos coram DEo justificari; phrasis Scripturæ non est. Sed, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, dicit, *Rom. 4. v. 13.* Istud credere & ista fides nempè, *v. 5.* Christum à DEo nobis justitiam, sapientiam, & sanctimoniam factum, *1. Cor. 1. v. 30.* Hic sistatur, & sic loquamur, & spes ad consensum perveniendi facilior erit. Sic bona opera ad salutem esse necessaria non dicit, sed sine sanctimonia neminem DEum visurum esse, *V. t. 12.* In hac loquendi forma ut consentiatur, elaboretur: Cætera hominum commenta omnia relinquantur. Sic, Panis est Corpus Christi, nuspiam dicit. Sed, panis, quem frangimus, h. e. panis in Cæna fractio &

dist.

distributio est Corporis Christi communicatio. In hac phrasi ut divinâ & Apostolicâ eiusq; legitimo sensu totaliter sistatur. *Conf. t. 17.* Nec n. tenebræ & caligo hominum clariores erunt, quàm verbum DEI, lumen in caliginoso loco splendescens, cui Scriptura passim comparatur. *Psal. 19. 119. 2. Pet. 1. 4. Annon calumniæ, perversiones, aut semiplenæ sententiarum explicationes & applicationes pro plenis & legitimis arripiantur, & alteri parti imputentur.* Frequens n. ea in regno Theologiæ Polemico malum est, & diligenter extirpandum est. Abolito malo, ac plenâ justaq; Adversary sententiâ substitutâ, facilior consensus erit. Sic *Reformatis* imputatur, quòd DEum authorem peccati statuant. Sed ipsi de calumniâ queruntur, & se de DEi justo in peccatis peccata punientis iudicio loqui reponunt. *V. c. l. C. 5. t. 3. Pontificijs,* quòd homines de salute incertos esse jubeant. At illi temerariâ præsumptionem vitare se docere dicunt. *C. 3. t. 19. c. l.* Sic quòd Sacramenta ex opere operato sine fide & devotione vtentis justificare dicant. At illi longe alium sensum hic habent, & de perversione mentis suæ conqueruntur. *V. c. l. t. 3. c. 4.*

14. 5. *Annon fundamentum rei & substantia Christianæ fidei in simplicitate teneri possit, etiamsi tandem de specialibus istis determinationibus simplex Christianus non aliquid sciat, & explicatas aut propositas satis capere non valeat.* Sic, Credo remissionem peccatorum, & Christum nobis à DEo justitiam & sanctimoniam factum esse, fundamentum & substantia fidei est. Sed an *imputando, inhærendo, habitum infundendo, utroq; aut neutro modo,* Christus nobis id fit, simplex Christianus non omnis capiet, eoq; à talibus determinati-

onib. abstrahendum, & fundamentum rei longè simplicius constituendum est, Vt tàm magnis, quàm parvis, eruditis & rudibus, ingeniosis & stupidis, peritis & imperitis, subtilib. & simplicibus, quibus omnibus fidem salvificam DEus communem esse voluit, commune esse possit. Sine fundamento n. salvari non datur. Sic panem Cœnæ communicationem Corporis Christi in usu esse, fundamentum Cœnæ est. *An transubstantiatione, consubstantiatione, vel substantiali panis & Corporis coniunctione, signi ad signatum relatione, analogicâ repræsentatione*, Symbolicâ figuratione, expressione, aliavè ratione fit, ad varias & Scholasticas determinationis pertinet, & à simplicib. Christianis intelligi non potest, sed ad Scholarum disceptata relinquendum & referendum est. Et omninò firmiter constituendum est, *quid, quantum, & quale, ad ipsam fidei Christianæ substantiam ac fundamentalem necessitatem pertineat*, & in eo, ut consensus fidelium procuretur, inprimis laborandum. *V. t. 15.*

15. 6. *Annon quæstiones frivolæ, rixosæ, et in hâc vitâ specialiter inextricabiles* interdùm occurrant, quas satius fugere & removere sit, quàm in illis enodandis laborare, Vt Apostolus *1. Tim. 6. 2. Tim. 2. et Tit. 3. jubet, Et c. l. l. 1. c. 7. t. 14.* ostensum. *Et quas hæretici faciunt, & quæ hæreticos faciunt, Vt Tertullianus* loquitur. Tales, ut à fide Christianâ removeantur, curandum, non ut fidei ipsi immisceantur, laborandum. Et in talibus plenum consensum impetrare nihil attinet. 7. *Annon multa hodie ad fidem Christianam adiecta sint, & credi requirantur, quæ in primâ & puriore antiquitate planè incognita fuerunt*, adeoq; ad fidem non pertineant, sed ab eâ resecari debeant, & fides Christiana ad priscam suam

antiqui

antiquitatem, simplicitatem, & puritatem, reuocari debeat. Superflua non in consensum trahenda, Sed a re, ad quam non pertinent, abstrahenda sunt, & res ipsa in priscum ac purum statum suum reducenda est. Sic Papæ Oecumenicus Episcopatus, Christi in terris Vicariatus, Purgatorium, Indulgentiæ, Sanctorum invocationes, necessarius Clericorum Cælibatus, Monachatus, merita operum, Missæ, satisfactiones propriæ pro poenis temporalibus, ad fidem successu temporum adiecta sunt, cum à principio ad eam non pertinuerint, & in Ignatio, *Clemente, Iustino, Irenæo,* nihil eorum inveniri possit, ubi genuina ipsorum scripta pervoluuntur. Etiamsi tandem è posteriorib. seculis & patrib. Vt *Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Damasceno, Bernhardo,* aliqua illorum deduci queant. Cogitandum hic erit: *Ab initio non erat Sic.* 8. *Annon quædam in mitius potius ex alijs, quàm rigidius ex nonnullis explicari possint & debeant,* quod in nobisipsis & scriptis nostris ab alijs fieri volumus. Sic DEum peccata velle, & ad ea occultè instigare quidam rigidi dicunt. Alij DEum peccata peccatis punire velle, & iusta sua in illis judicia, & si nobis quandoq; occulta, habere dicunt. Hæc rectiùs, & ex his duriores mitigandi ac explicandi venient. *9. Vbi in summâ & fundamento rei consensus partium procurari potest, in eo tanquam ad fidem necessario sisti potest.* In omnib. specialibus determinationibus & quæsitis ut procuretur, necessarium non est, Sed dissensus in talibus fundamentum ipsum rei non rumpet. Ac qui partium dissensum procurare velit, *eum necessarijs ac fundamentalibus punctis contentum esse oportet.* Cætera superstructa nunquam in plenum consensum deduci poterunt, nec id

fieri

fieri necessum, nec proficuum est. Vt *facies* hominum diversæ, sic sententiæ manebunt. *10. Annon satius sit*, subtilitates omittere, & pietati studere, eamq; promouere, sine qua nemo Coelum intrabit, quàm circa tricas languere, & Coelo eiectum manere.

16. II. *Qui dissensiones in Theologicis solidè conciliare velit, is tantùm ad Veritatem DEi Scripturâ contentam & revelatam attendat*, ut ea reducatur, & ad eam omnia revocentur, nullo sectæ amore, aut ullius terrenæ rei respectu teneatur, etiamsi Sectarum placita non in omnibus defendi tandem queant, sed multa rescindi debeant, Vt falsa, tricosa, nimis *à Scripturâ* in re aut loquendi ratione recedentia, & similia. Neq; ad vllam particularem Confessionem ita adstringatur, ut si diversi quid in *Scripturâ* revelatum esse deprehendatur, non *à* Confessione *suâ* in in eo recedere, & veritati DEi revelantis cedere paratus esse velit. Neq; Christianus in ullam sectam baptisatus est, Sed in simplicem DEi veritatem Verbo eius repræsentatam, & fidei summam Apostolico Symbolo comprehensam, ad quæ principia, ubi omnia competenter revocata fuerint, facilior dissensionum in fundamentalibus compositio erit. Nec *Pontificius*, vel vt dici vult, *Catholicus*, *Lutheranus*, *Reformatus*, *Photinianus*, *ut talis*, cœlum intrabit, Sed *Christianus*. Qui is non fuerit, frustrà in Cæteris languebit, & Cælum non possidebit. *Plura horum libris de fide Christianâ* deducta & probata sunt.

17. *Quæ differentiæ Religionum ex modo proponendi* ortæ sunt, eæ facile tolli poterunt, si modi proponendi immutentur, & pro tricosis ac ambiguis aperti & ambiguitati-

bus

bus vacui determinatiq; sensus substituantur, illiq; maximè ad modos loquendi in *Scripturâ* vsurpatos revocentur, illi bene in sensu Spiritus S. natiuo ac genuino inquirantur, constituantur, in istis vt certissimis & tutissimis quiescatur, ac reliqui in tricas aut contentiones & euagationes deducentes resecentur. Sic panem in Coenâ esse ipsum Corpus Christi sub accidentibus panis externis, quantitate, figurâ, Colore, sapore, essentialiter transsubstantiatum, & sub ac cum isto pane vno indiuisoq; comedendi actu ipsam Corporis Christi substantiam ore manducandam esse, modi proponendi humani sunt. Pro illis *modus Scripturæ* adhibeatur, *Panis, quem frangimus*, vel huius panis in Cænâ fractio, distributio, & sumptio, *est Corporis Christi communicatio, 1. Cor. 10.* Sensus eius *à* Sp. S. intentus studiosè inquiratur, & in eo, ut certo ac immoto, sistatur, & via ad consensum producendum paratior erit, Quicquid *de humanis proponendi modis* fuerit, sive illi ad rem fuerint, siue à re recesserint. *Conf. t. 7. 13.*

18. *Quæ differentiæ ex accidentibus rebus commistis* ortæ sunt, cum accidentia ad rem ipsam non pertineant, tutissimum est, universa resecare, & ad materias ipsas accedere, ac quantum in illis vel earum partibus dissentiatur, videre, & quomodo consensus in illis, in quibus dissentitur, ex illis, in quib. consentitur, porrò eliciendus sit, attentiùs considerare. *Conf. t. 8.*

19. *Quæ vitam et mores profitentium religionem* concernunt, ad accidentia pertinent, & à dogmate ipso diuersa sunt, eoq; secerni debent. *Occasiones diuertendi* in religionibus sæpè ex illis profectæ sunt, Vt impietas *Clericorum*

& indul.

& Indulgentiariorum in Papatu Luthero ansam inquirendi ac mutandi dedit, Impietas *Lutheranorum & Reformatorum* multos ad *Papatum* & *Photinianiſmum* perducit, à dogmatibus tamen ipſis hæc omnia ſecerni debent. *Hic, quomodo in doctrinis* conſenſus iniri poſſit, inquirendũ, non, quomodo Vita reformari debeat. *Vtrumq́;* in Chriſtianiſmo quidem elaborandum, & doctrina, & vita, ad puritatem redigenda: *Diſtinctè* tamen de vtroq; conſultandum, nec alterum cum altero confundendum erit. *Et tàm doctrinæ veritas, quàm vitæ pietas ex ſolâ Scripturâ Canonicâ* deduci, conſtitui, promoueri, & conſeruari debet. Quæ ab iſto fonte remotiora ſunt, turbatiora eſſe poſſunt.

20. Deniq; *breuibus* ſummam comprehendendo, qui vtiliter conciliare religiones velit, jlle videat, *Vt principia, ex quibus procedit, ac alia deducit, alia conciliat, alia reſecat, firmiſſima & generaliſſima habeat,* Vt nullâ inſtantiâ infringi, à nullo negari aut in dubium vocari poſſint, ab Vniuerſis concedi cogantur, *fidem Chriſtianam in neceſſariâ ſui ſubſtantiâ, quâ* ſaluari neceſſum eſt, vnicam & eandem à principio ſui vſq; in hodiernum diem fuiſſe & manſiſſe, nullis additionibus auctam, nullis detrimentis im̃minutam eſſe, cogitet, *Illam priſcam & Apoſtolicam fidem Chriſtianam* omnibus humanis ſectis, quocunq; nomine veniant, anteferat, *ad prima ac* antiquiſſina eius ſecula eam reuocet, *jn illâ,* Vbi eam nactus fuerit, ſecurè quieſcat, *acceſſorijs* vniuerſis rejectis aut ſuſpenſis, In conciliando piè, moderatè, ſolidè, & conſcientiosè procedat, *rebus* adhæreat, perſonalia & accidentalia ſecernat ea dimittat, *Scripturam eiusq́; phraſin omnibus hominum, Patrum, Conciliorum, Scholarum,*

Philosophorum, Formularum, Confessionum, Articulorum, Symbolorum, Verbis, commentis, aut decretis præferat, Vnicam optimamq; & sentiendi, & loquendi in spiritualibus materijs magistram ac normam censeat, *precibus* magis, quàm disceptationibus confidat, *ad ipsam fidem, simplicem aliquam & exiguam notitiam* sufficere, non exquisitam aut diffusam requiri, æstimet, *quæstiones* vanas, inutiles, Curiosas, ad pietatem nihil facientes, devitet, decisionem illarum non curet, *DEi gloriam* omnibus humanis phantasijs, quocunq; nomine veniant, anteponat, eoq; totius negotij Alpha & Omega, principium & finem, *DEum*, eius Veritatem Scripturà Canonicâ reuelatam, et gloriam, faciat, *Omnia in DEo, pro DEo, cum DEo, & ad DEum* agat, illiq; in omnibus velificetur, salutem Ecclesiæ DEi respiciat, ac in toto negotio cum literato, prudente, judicioso, & virtuoso, verum & priscum Apostolicum Christianum, quatenùs is ex Spiritu Christi, Prophetarum, & Apostolorum, Scripturis Canonicis expresso & repræsentato, innotescit & hauriri potest, repræsentet. *Bonum Christianum, ut piè, Theologum*, ut ex proprio principio adæquatè, *& Philosophum*, ut ordinatè & accuratè in omnibus procedat, exhibeat. *Cætera omnia, quæ* in potestate non habet, *quibus* mederi non valet, *quæ* finem nancisci non queunt, *in quibus* frustrà laboratur, DEO, tempori, & occasioni, reseruet & commendet,

DELINEATIO

Pij & fructuosi in Theologicis Colloquij.

I.

ETsi magna horum pars, *quæ hic dicenda*, *ex* præcedente Commentatione *facilè deduci possit*: Ob similitudinem tamen & specialē occasionem, *Vt peculiariter aliquid etiam de hac materiâ adijceretur*, *vtile visum fuit*. Primò omnium ergò in fructuoso Colloquio *procuretur*, *Vt utrinq;* in certis, iustis, & fundamentalibus principijs consentiatur, *eaq;* firma, & certa. & liquida, citra ullam ambiguitatem, inuolutionem, detorsionem, aut cavillationem, constituantur, *recipiantur*, *& teneantur*, *ac ex illis controversa*, *dubia*, *consectaria*, *& similia deducantur*. V. Irenic. t. 20. Non multa hæc fortè erunt: Et Quæ talia non sunt, pars una alteri *pro principijs non obtrudat*, *sed inter dubia ac deliberanda seponat*, *donec clarè euictum fuerit*, verè communis & ab vtraq; parte recipiendi principij naturam aliquid *obtinere posse et debere*.

2. Quæ ambigua, *dubia*, *obscura sunt*, *liquidò determinentur*, *ad unum certum sensum pertrahantur*, *inq; eo sistatur*.

3. Fundamentales fidei articuli constituantur, qui, quales, quot, & quanti illi sint, quiq; ad salutem scitu omninò necessarij sint, *ac in illis*, *ut consentiatur*, *ante omnia laboretur*. *Secundaria*, aut *vberiores articulorum explicationes*, aut *consectaria indè educta*, *facilè sequentur*, *& si non sequantur*, *dissensus in talibus hæresin non præcisè faciet*, *& inter Christianos ac moderata ingenia non iniquè ferendus est*. Conf. t. 14. *Ac de omni quæstione* Controuersiæ status accuratè, planè, &

suffici-

sufficienter, citra ambiguitatem aut inuolutionem constituatur, *Vt pateat*, quid, quale, & quantum quæratur, ac in *quo, ac quantum â partibus dissideatur.*

4. Nulla hæresis ulli parti impingatur, *nisi sufficienter priùs discusso*, an punctum tàm fundamentale, tantæq; necessitatis ac momenti in fide sit, *ut dissensus super eo necessariò hæresin aut hæreticum faciat. Et hoc* â primâ ac antiquissimâ Ecclesiâ Christianâ *desumatur, quid illa de hæretico censuerit: Non eâ, quæ post 300. 400. aut plures annos demùm successit, quæ multa inter hæreses numerare & proclamare potuit, quæ prima & pia ista Christi Ecclesia non pro talibus assumpsisset* Si tale punctū non sit, aut *sufficienter etiam apud primam & Apostolicam Ecclesiam fuisse deprehendi non possit, ab hæresib. impingendis abstineatur, Vtcunq; aliàs error aliquis esse possit.*

5. Quicquid Scriptura in vero & legitimo suo sensu, ac propriâ Spiritus S. *intentione sub verbis propriè vel Tropicè intellectis dicit, indubitatò verum habeatur. Et quædam in Scripturâ ad necessariam fidei substantiam, quædam ad uberiorem scientiam & profectum pertinere existimetur. Priora clarissima & paucissima in sacris sunt:* Posteriora *obscuriora & diffusa esse possunt. Et vbi sensus ac intentio Spiritus S. ex verbis Scripturæ habetur, in eo vt ad fidem sufficiente* sistatur & quiescatur, *Curiositati humanæ froena imponantur, ac in mysterijs semper multa superfutura, & â nobis in hac caligine inexplicabilia esse, existimetur.*

6. Quicquid *solido 300. annorum post Christum natum consensu Patrum consentienter ita docentium nititur, & ex eo demonstrari potest, inter vera recipiatur. Quod secùs se habet, inter dubia vel disputabilia reijciatur, & ad Scholas ac Scholasticalia remittatur.*

7. Modus disputandi sit pius, accuratus, modestus, *affectu humano inutili vacuus, formâ & materiâ conveniens,* Logicè, *quantum fieri potest, compositus, ut Logicarum regularum nihil violetur, ad rem, non personam, realia & nervuũ, non accidentalia & inutiles ac alienas circumstantias, directus, pro DEi veritate & gloriâ, Ecclesiæ Christianæ pace & salute, ac Christianâ pietate, non proprio honore, sectæ amore, vanâ gloriâ, victoriæ desiderio, præmij terreni aucupio, scientiæ reportandæ præmio, aut simili fine susceptus.* V. Irenic. t. 20.

8. Si qui ad *certas sectas in Christianismo, Vt* Papismum, Lutherismum, Calvinismum, & Photinismum, jurati sunt, juramentis *solenniter universi solvantur, &* tantùm ad veritatem Scripturæ, primamq; & simplicem illam Apostolicam fidem Scripturâ repræsentatam *alligentur, ac in tota Collatione se alligatos fore novo juramento competenti Magistratui solenniter præstito, polliceantur. Ita se gerant, quasi Controversiarum, quibus concussus est Orbis Christianus, non magnoperè gnari essent, & sanctam ac simplicem DEi veritatem ex Scripturæ Verbis & phrasibus piè ac studiosè perlustratis demùm eruere, de nullius a partis veritate præcisè præsumere vellent. Sic conscientiosè disputabitur, veritas DEi legitimè eruetur, fructus & finis Colloquij exspectatus proferetur. Cæterorum Colloquiorum nec modus, nec finis, nec fructus aliquis magnoperè esse potuit.*

9. Omnes authoritates humanæ ad probandam rem aboleantur, *et ex* unicâ Scripturâ, *eius apertis dictis aut solidis consequentijs ex eâ eductis, materiæ Theologicæ ut domestico principio demonstrentur.* Antiquitatis authoritas ad consensum tantùm, non probationem fidei adducitur, *quæ in & ex Scripturis est,*

turis est,

turis est, & ab Vetustissimis Patribus ex Scripturis *observatam, receptam, & ostensam esse Testimoniis eorum adductis doceri potest. Hoc modo* Lutherus *multa scripta* Patrum & Conciliorum *nunquam edita esse, non multum obesse ait, ut ad solam Scripturam ejusq; sensum res Theologicæ redigantur. Cætera infinitis labyrinthis & dubiis referta esse. Sic* Augustinum *fecisse, quem sequendum.* præf. To. 1. Germ. Witteberg.

10. Libertas sufficiens *detur, omnia, quæ pro re deducendâ, ostendendâ, aut refutandâ dicenda erunt, proferendi, non sub prætextu blasphemiæ, scandali, hæresios, aut ullo alio inhibeatur, aut opus totum evertatur. Secùs nihil salutaris & solidi constitui potest.* Nec finis Colloquio imponatur, *donec de necessariis in fide sufficienter constituatur, & utraq; pars Veritatem rei in fide plenè assequatur, aut Contradicens Veritati pars* vel ad *manifesta absurda & Contradictoria,* vel *generalium ac verissimorum principiorum eversionem,* vel *vanam principii petitionem,* vel *similem manifestam* & *notabilem inconvenientiam deducatur. Ubi veritatem ipsam satis solidè statutam animaduertetur, sed alteram partem ex merâ pertinâciâ ei contradicere pergere constabit. Quæ tum iure relinquenda ac deserenda erit.*

11. Ex solo textu scripturæ authentico, Hebræo V. & Græco N. T. *tanquam ex primo ultimoq; disquisitionum Theologicarum de fide principio, collatio instituatur. Versiones omnes, qualescunq; & cuiuscunq;, ac in quâcunq; linguâ sint, et allegata ac explicationes* Patrum *suspendantur, & ad authenticum textum ac intentionem Spiritus S. ex eius diligente collatione haustam, ut normam infallibilem, revocentur, & ex eo omnia tandem* â solidè doctis, piis, Conscientiosis, & Christianæ pacis amantibus viris *decidantur. Aliis iudicium committere periculosum.*

culosum est. Ac quod in Basiliensi Synodo *statutum*, Lex divina, praxis Christi, Apostolica, & Ecclesiæ unà cum Concilijs & Doctoribus fundantibus se veraciter in eadem pro certissimo & indifferente Judice in hac Basileensi Synodo admittantur, in Tomis Conciliorum: *Id in pacifico aliquo* Colloquio *cogitetur, adhibeatur, & ipsâ praxi ostendatur. Ita facilè ad finem aliquem salutarem Controversiarum de fide devenietur.*

12. Si quid in unà sessione *non satis liqueat, aut sufficienter, quod ad rem sit, non statim occurrat, ad alteram aut sequentes sessiones differre, & dilationem postulare, utriq; parti fas & licitum esto, Et in difficili spiritualis veritatis scrutinio necessarium est.*

13. Typis aliquid vulgare *nulli parti licitum esto, donec protocollis ab utraq; parte visis, perlustratis, & approbatis, aut emendatis, sufficiens utrinq;* collatio actorum & approbatio *instituta fuerit. Quòd si etiam in revisione quædam mutare, aut moderari, aut aliâ aliquâ ratione determinare, aut prorsùs omittere, visum fuerit, utriq; parti licitum & permissum esto.*

14. Criminationibus, *calumnijs, perversionibus, cauillis, abductionibus â principali scopo, exagitationibus personalibus, conuitijs, otiosis declamationibus, & similibus medijs cursum disceptationum impedire, nulli concedatur.* Et vbi in principalibus ac fundamentalibus fidei punctis consensus iniri possit, quiescatur ac sistatur, *in secundarijs dissensum supermanere non ægrè feratur.* V. c. 3. Et Jrenic. c. 11. 15.

15. Ad Veterem Apostolicam fidem, *Symbolo Apostolico repræsentatam, ab Ecclesiâ Chsiristianâ semper receptam, propagatam, explicatam, & defensam, â martyrib. sanguine obsignatam,*

signatam, ab omnibus omnium temporum fidelibus unanimi consensu approbatam, velut ad verissimam & perpetuam Christianæ fidei formam, *ac Apostolicæ et piscatoriæ istius in fide puritatis & simplicitatis ideam tota res fidei revocetur, ex* Scripturæ *verbis inquiratur & explicetur, in eius verbis & phrasibus sistatur, Verba hominum, vt fallacia & aliena fugiantur, vana & curiosa â fide ipsâ resecentur, Et ad piscatoriam Apostostolorum simplicitatem omnia in fide redigantur.* V. Irenic. t. 15. *Ita* fides *ipsa justissimè constituetur, prisca eius* puritas *reducetur*, simplicitas *revocabitur*, superflua *ab eâ resecabuntur*, Controuersiarum de *fide modus, finis, & fructus obtinebitur, & in priscâ puritate* Chr*istianâ tutissimè Christiano permanebitur. Pluribus* in libris de fide Christianâ *hæc deducentur.*

Decla-

DECLARATIO,
Cur Colloquijs, ſynodis, & conuentibus in Germaniâ cum Adverſarijs parum interdùm profectum ſit.

C*auſas* quidam *hic aſſignant vanas & alienas*, alij *inſufficientes, nimis generales, ac remotas*, pauci *adæquatas. Sic* quidam *ad timiditatem* Philippi *recurrunt. Alienè. Sic n. potiùs profectum fuiſſet, quàm nil profectum. Timidi enim plura concedere ſolent, quàm duri & audaces, & ſic faciliùs cum illis profici poteſt, quàm his, qui & nihil alijs concedere*, & mordicùs *ad ſua adhærere eaq́ defendere*, & contraria *omnia negare, impugnare, ac auerſari ſolent.*

2. Veræ Cauſæ ſunt 1. Nimium partium ſtudium, *Vt addicti ſuis ſectis nihil de illis concedere velint, pertinaciter omnibus earum placitis adhæreant, omnia authorum dicta & ſcripta incruſtent, excuſent, defendant, Omniaq́ potiùs pervertere, quàm ſectæ aliquid deſerere cupiant.* 2. Odium *durum ac immite in* Adverſarios, *ut quicquid illi dicant, ſtatim adverſæ partes ſuſpectum habeant, Vnde animorum exacerbatio, & odiorum in infinitum extenſio promanauit, Quæ à ſcriptis & ſcriptoribus Polemicis inſigniter aucta & continuata fuit. Vnde* immenſum contentionum chaos *manauit, vt* Polemica ſcripta *ferè tota in iſtis conſumantur. Intentio ſæpe fuit, quomodocunq́* Aduerſarios premere ac *confundere, non veritatem quærere aut promouere.*

3. 3. Frequens calumniandi *& varia pervertendi, affingendi, detorquendi, in deterius rapiendi, quæ longè meliùs explicari potuiſſent, ſtudium, Calumnioſis conſequentiis unum ex*

alio

alio per vim extorquendi, alteri etiam deprecanti ac contrà protestanti, imputandi, maledicendi item, conuitiandi, insectandi dicta, facta, & personas, allotria immiscendi, propria omittendi, aut valdè frigidè tractandi cupido, multum in Colloquijs & scriptis obfuerunt, quò minùs aliquid profici potuerit.

4. *Varia sæpè inscitia & imprudentia, ut Adversarij mens sæpiùs non sufficienter intellecta, rationes non solidè penetratæ, non ritè cum re & causâ ac principio suo, unde deductæ sunt, collatæ, expensæ, exhaustæ, & discussæ fuerint.*

5. Oscitantia itē, *quâ non satis inquisitæ materiæ, ex alienis allegationib sæpiùs exscriptæ, temerariè sine judicio congestæ fuerunt, accurata tanquam in re alicuius momenti elaboratio sæpiùs non in id negotium insumpta fuit.*

6. Superbia ac fastuosus Adversariorum, ut fungornm, contemptus. *Sic Pontificij Lutheranos, Hi Reformatos, & illi iterùm istos superbè contempserunt, Vt* Conuentus quidam & Scripta Polemica *docent. Quando cum tanto fastu jam præassumpto ad disceptandum acceditur, frustranea est* ex *eo fructus exspectatio.*

7. Personalium *cum realibus, privatorum cum publicis, solidorum cum infirmis, essentialium cum accidentalibus, modorum proponendi cum materijs ipsis frequens confusio.*

8. Processus magis Concionatorij & declamatorij, *quàm disputatorij, & argumentationes imperfectæ, compositæ & Enthymemata, Reseruationes, Inductiones, implicitæ, inaccuratæ, inversæ illationes, quibus fodicantur Collocutores, non planæ, perfectæ, apertæ, solidæ, quibus juuantur, aut juvari possunt.*

9. Finis futilitas, *qui philoneikia, honor proprius, non DEi gloria & veritas quæsita sunt.* Qualiscunq; Aduersariorum

D confu-

confusio, *thesios & hypothesios propria, eorum, quæ semel posueris, defensio, sectæ, in quam iuratus es, conseruatio, & simile quid sæpius pro fine fuit.* V.t. 2.

10. Principiorum, è *quibus disputari debet, diuersitas.* Vnus *n. Scripturam adducit*, alter *Patres, Concilia, Decreta,* tertius *Rationem, Philosophiã, eiusq; axiomata, consequentias ex Ratione deductas, & similia adijcit. Quamdiu non* ad vnum adæquatum principium *res deducitur, vix fructuosè discep tabitur, sed in infinitum præcipitabitur.*

11. Instructionum imperfectio interdum *accessit, Vt nihil vltrà procedere, concedere, recedere, iussum sit. Vnde* Colloquentib *impedimentum, vt accedere veritati etiam ostensæ, non audeant. Tali modo ad veritatem parum profici potest.*

12. Breuiter *contrahendo*, Nimia sectæ suæ dilectio, Aduersariorum auersatio, Calumniandi & peruertendi Cupido, Inscitia, Oscitantia, superbia, Dictandi ac præscribendi audacia, principiorum, *finis, ac processus diuersitas vel inconuenientia; Instructionis specialitas,* & personalium intermistio, *in multis veræ Causæ fuerunt, Quò minus salutare quid* in Colloquijs *obtineretur. Si quid profici debeat,* impedimenta *omnia amoueri, & contraria illis vniversa occupari oportet. Secùs in vanum laborabitur.*

13. *Fuit quidem Colloquiorum quorundam aliquis fructus, Vt* Marpurgense *Controuersias Protestantium, præter eam de Coenâ, composuit, Mompelgartense Reformatorum sententias de Prædestinatione, gratiâ, Conversione, aperuit,* Maulbrunnense *varias detorsiones explanauit,* Ieuerense, Hertzbergense, Durlacense, *idem egit, & phantasias quorundum detexit,* Ratisponense

tiſponenſe *ſententias Pontificiorũ copioſiùs eduxit, alia aliud præſtiterunt, prout ex* Actis Colloquiorũ,*quæ proſtant, patet: Sed nec is, qui exſpectatus fuit, nec ad rem & ſumptus conueniens aut ſufficiens. Remoræ nimis multæ fuerunt, quæ id impedierunt. Si plenus fructus exſpectari debeat,* fermè contrariè in Colloquio, ac hactenus factum, procedi oporteat. *Specialiter ac plenariè hæc deducere aliorum temporũ, occaſionum, mediorum, & ſumptuum, moles eſt. Sequetur, cum iſta ſuppeditata fuerint.*

Chriſtiano Lectori S.

In graui ac tricoſo argumento me occupo, *Chriſtiane Lector*. Fieri vix poteſt, quin nonnulla fugiant, aut vacillent. Tuum erit, *Chriſtianè* vniuerſa accipere, jnterpretari, judicare. Sequiùs quod fit, non multum hic curabitur, nec proficiet. Sycophantas & contemnere didicimus, & benè dicta tueri poſſumus. Communis procedendi modus, quàm in odia ac aliena pateat, ſcripta docent. *Finem Controuerſiarum* non vidit Orbis, & modus materias aſperauit. Paulò alium hic delineatum vides, qui ad minuendas quæſtiones & odia manuducat. Prægustus ad ſecutura eſſe poteſt, niſi tibi ſine guſtu eſſe libuerit. Vtcunq; tamen hominum affectus deſtituet, DEus ſuæ Cauſæ, Veritati, & fidei à Chriſto ſuo fundatæ, non deerit, & Nos pro eâ pugnare, ſuppeditante DEO, non deſiſtemus. Propoſitum noſtrum DEO diſplicere non poſſe, pijs ſalutare eſſe, ſcimus. Conditio hominum

minum nec fidem facit, nec ob eam DEVS hanc prostitui sinet. In quâ fiduciâ & nos inchoamus, & strenuè pergere Bono cum DEO, destinavimus. Vbi *Libros de fide Christianâ* acceperis, plura, completiora, confirmatiora, nanciscere. Largiatur modò DEVS edendi occasiones, ac saluti Christianæ Reipubl: destinata favore suo complectatur. B. V. *Lector Christiane*, Et pro bono successu mecum DEVM venerare.

Ad delineat. t. 10. p: 21. sequentia adyciantur: *Instructiones etiam Colloquentibus sufficientes ac plenariæ* dentur, Vt si pro veritate aliquid adductum fuerit, libere illud recipere, de suo recedere, sua meliùs determinare aut emendare, queant. Secùs difficulter aliquid salutaris pefi iatur.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.